



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE
BOLLETTINO

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0412

Giovedì 19.07.2001

**LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL
CENTENARIO DELLA CHIESA CATTOLICA IN MALAWI (MALAWI, 28 LUGLIO 2001)**

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL CENTENARIO DELLA
CHIESA CATTOLICA IN MALAWI (MALAWI, 28 LUGLIO 2001)

In data 24 marzo 2001, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Francis Arinze, Presidente del Pontificio Consiglio per il Dialogo Inter-Religioso, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni del

Centenario della Chiesa Cattolica in Malawi, in programma il 28 luglio 2001.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Rev.do Sac. Martin Mtumbuka, Rettore del Seminario Minore St. Patrick, nella diocesi di Mzuzu;
- Rev.do P. John Bechtold, S.M.M., incaricato del "Nantipwili Pastoral Centre" dell'arcidiocesi di Blantyre.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale in Malawi, Em.mo Card. Francis Arinze:

Venerabili Fratри Nostro

FRANCISCO S.R.E. Cardinali ARINZE

Pontificii Consilii pro Dialogo inter Religiones Presidi

Vicesimo incipiente saeculo a Christi ortu salutiferum Evangelii verbum ad Malavienses pervenit gentes, quae quidem gaudentes animo illud receperunt. Bonum nuntium humum illic invenit aptum, nosque iam copiosos illius primae evangelizationis contemplamur fructus. Iure ergo etiam de illa Christifidelium parte in Malavio licet Nos asseverare, quod scripsimus: "Pro Ecclesiae Africanae ingenti incremento his proximis centum annis, coram sanctitatis fructibus qui inde obvenerunt, una dumtaxat interpretatio exhibetur: haec omnia Dei donum sunt" (*Ecclesia in Africa, 34*).

Certiores facti de sollemni celebratione huiusmodi eventus, Nos summa cum animi consolatione cogitamus universam catholicam communitatem Malaviensem, ac praecipue sacros Praesules illius portionis Ecclesiae, qui postremo die Dominico proximi mensis Iulii simul convenient Eucharistiam oblaturi Deo Patri per eius unicum Filium in Spiritu Sancto.

Quo vero participata Nostra gratulatio de praeterito opere, laetitia de eiusmodi memorabili vitae ecclesialis evéntu, atque cohortatio de futura evangelizationis prosequendae industria clarius ac luculentius inter sacra ibidem emineant sollemnia, te, Venerabilis Frater Noster, harum litterarum virtute **Missum Extraordinarium** Nostrum destinamus ad honorandam centenariam Ecclesiae Malaviensis evangelizationis commemorationem, quae fiet die XXVIII proximi mensis Iulii. Tu quidem, qui antea tuam nativam diu rexisti Onitshanam archidioecesim, nunc vero iam sedecim annos Praesidis Pontificii Consilii pro Dialogo inter Religiones fungeris munere, Nobis peraptus videris ad hanc honorificam explendam missionem.

Pro Nobis illic adstabis, immo praesidebis liturgicis sacris, sermone tuo Nostram ad mentem illustrabis eventus illius momentum ac opportunitatem renovandi missionalem fervorem, benevolentiam pariter Nostram testaberis erga florentem omnem illam ecclesiam communitatem.

Beata Virgo Maria Apostolorum Regina sit Tibi, Venerabilis Frater Noster, auxilium et firmamentum: Nos Eam enixe deprecabimur ut filios congregatos propitia conspiciat, uberrima consolatione impleat novumque Regni Dei dilatandi det ardorem. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam imo ex corde Tibi impertimus, quam cum omnibus praesentibus participabis.

Ex Aedibus Vaticanis, die II mensis Iunii, anno MMI, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

IOANNES PAULUS II

[01207-07.01] [Testo originale: Latino]
